
De Laudibus
Dominici Card. Capranic.
ORATIO
Michaelis Angeli Sammarii
Romani
Superiorum Permissu

# ILLVSTRISSIMO,
## ET EXCELLENTISSIMO
## DVCI
# FVLVIO CORNEO.

*MICHAEL ANGELVS SAMMARVCVS S.*

EX clarissima tuæ Excellentiæ luce subijt me audacia, afferendi splendorem huic meo teneræ in adolescentia labori, quem tui patrocinij templo, mei primitias ingenij, humiliter consacro. Neque alijs, quam tibi dedicare debeo hunc mei calami, ne dicam partum? an abortum? quoniam tibi sum donatus, eidem consequenter omnes actiones meæ sunt donandæ. Excusabis meam in literis infantiam, paucasq. vires, quæ si deficient, ipsa plus inseruiet infirmitas voluntati; Nam ne vmbra vlla mihi afferat molestiam, in sinum splendoris, ac nominis tui confugio, & orationem meam, quam in nostro Almo Collegio Capranicensi habui, quamuis exiguum obseruantiæ meæ pignus, ad te mitto. Vale.

# AD EVNDEM DVCEM.

## EPIGRAMMA.

*CRedideram natum tibi, Fului, à fulmine nomen;*
*Nam tua dum pugnat dextera, fulmen habet:*
*Ast vbi Castalias pacati pectoris artes*
*Depromis, pacis munera blanda refers.*
*In te sic gemina conspirat adorea laudis,*
*Et plectrum, & fulmen, dextera docta mouet.*
*Fulmina dent quamuis nomen; Fului, attamen idem*
*Fuluus Iuppiter, & Flauus Apollo mihi es.*

De

# De Laudibus DOMINICI CARDINALIS CAPRANICENSIS ORATIO ad S. P. Q. R.

FREQVENTIA vestra incredibilis, Quirites, concioq́. præstantissimorum pari nobilitate, ac sapientia Ciuium, torpentem me, ac dubitantem; excitat ad dicendum, atque adornandam extincto Principi laudationem; nempè fugitiuum mortalitatis lenocinium,& exigua lacrymarum solātia ipsa cum oratione peritura. Redijt enim anno vertente, illa dies, mihi quidem propter prouinciæ demandatæ magnitudinem nonnihil pertimescenda; vobis propter orationis meæ ieiunitatem non vehementer expetenda; omnibus verò propter præclaram Dominici Cardinalis Capranicensis memoriam summa animi alacritate recolenda, qua virum præstantissimum anniuersaria laudum prædicatione in hoc sapientiæ theatrum reuocamus, vt iacta à se iampridem gloriæ fundamenta in grata virtutum suarum recordatione succrescentia, recognoscat; Sed quomodò hoc tempore factum sit, vt ego de tanto viro dicere debeam, in quo exornando summorum Oratorum voces,atque ipsa propemodùm eloquentia conticesceret,& mirari vos arbitror, & me nescire profiterer, nisi hoc etiam Dominici gloriæ datum putarem, vt oratoris infantia rerum præclarè gestarum magnitudine iuua-

retur, quod ergò me à dicendo deterrere debuisset; hoc ipsum vehementiùs incitauit, cum orationis exilitatem in tanta rerum copia timere non possim, & humanitas etiam vestra quales quales conatus meos boni consultura sit.

Et mihi quidem in Dominici Capranicæ mores, vitæq. institutionem intuenti illud veniebat in mentem, quod à viris sapientissimis prudenter obseruatum intelligebam; eam videlicet Romano cælo inesse vim, vt quicumque sub illa feliciter oriuntur, nescio quid imbibant arcanum, & efficax, quod illos ad literatam pariter, armatamq. gloriam vehementer extimulet; Hinc præclara illa Romanorum veterum nomina, & armis, & doctrinis illustria, quæ Fastos vestros locupletant, Quirites, ad imitationem vtriusq. laudis posteros alliciunt, & insita mortalibus æmulatione sollicitant; quod vt multis probare non debeam, facit vnius Dominici indoles in vtrumq. flexibilis, & ipsa studiorum varietate memorabilis, & prima quidem pueritiæ rudimenta in literis posuit, cum ætas illa nondum laboribus assueta, & disciplinæ asperioris impatiens erudiri tantisper in Palladis castris, ad togæ munera postularet, vt animum bonis artibus imbutum ad eiusdem Palladis, sed armatæ, stipendia aliquando trasferret; Et operæ sanè pretium extitit; nàm placidi, ac subacti ingenij puer per omnes ingenuarum artium gradus tam feliciter adoleuit, vt siue parentibus, siue præceptoribus admirabiles Dominici processus intuentibus teneritudo ætatis illuderet, & se quam pro veritate maiorem sapientissimè mentiretur. Quis volucres mentis motus? quis acumen intelligentiæ? quis disciplinarum peritiam? quis memoriæ vim? quis iudicij maturitatem (quæ laus est in adolescente tam rara) pro dignitate laudauerit? Vix dum pueritiæ simul, atque Grammaticorum salebras euaserat, cum ad ameniora humanitatis viridaria opportunè diuertit, vt animum omnis antiquitatis exemplis excoleret, & Poetarum, Oratorum, atque historiæ præsertim præceptionibus ad virtutem informaret; quo in studiorum genere talem se Romanis probauit vniuersis, vt non cum adolescentibus in eodem gymnasio desudantibus, sed cum ipsis propemodum præceptoribus de principatu certare videretur.

Præclaro igitur humaniorum disciplinarum cultu, vt illa ferebant tempora, ad miraculum diues, ad iuris prudentiæ penetralia parentum auspicijs, imperioq. traducitur, non vt cruda adhuc studia in forum propelleret, à quo ille semper abhorruit; sed vt omnibus à prima statim adolescentia artibus assuesceret is, qui omnes deindè in reliquo vitę cursu vsurpare summo cum populorum emolumento debebat. Quos in legum nexibus resoluendis labores non exhauxit? quas molestias non exorbuit! intelligebat nimirùm nullis parendum vigilijs, laboribus nullis, ille, qui in Romana luce vellet mediocri saltem cum laude versari; Nobilitatem generis, atque amplis-

simis

ſsimis teſtatam monumentis, & conſignatam antiquitatem, fumoſas Auorum imagines, ſtemmata longo à Proauis ordine deducta parum prodeſſe ad gloriam, niſi illa virtutis pretio facias ampliora, marceſcere breui adoleſcentiæ florem, formæ illecebras, vel ſola temporis diuturnitate contabeſcere, eneruari vires iuuentutis, diuitias in cogitantibus effluere, honores euaneſcere, corpus ipſum, vel ſenectute fatiſcere, vel morbis ingruentibus elangueſcere; Sola animi decora perennare, virtutis ornamenta clariùs in dies coruſcare, doctrinam nominis immortalitatem polliceri. Laborandum proindè adoleſcentibus ſtrenuè, vt ſiqua poſſint, humo ſe tollant, & cum præſentis vitæ ſubſidia, tum futuræ, decora, literarum auſpicijs conſequantur. Hæc vt apud ſe ſtatuit magnanimus Adoleſcens in eam curam conſtanter incubuit, vt exacta legum peritia, ſibi nominis æternitatem, Ciuibus ſuis noua inſuper decora compararet; Hinc Laurea donatus, non quidem Apollinari, ſed ea, quam ſuis manibus Aſtræa compegerat, ſocijs ſuis exemplo prælusit; quam benè adoleſcentiæ ſtudia, laboresq. locentur. Vix enim alterum, & vigeſimum natus annum à Martino Quinto Summo Pontifice, quem licet abſentem doctrinæ, atque virtutis opinione ſibi conciliauerat, Mantuam accitus inter Apoſtolicæ Cameræ, quos vocant, Clericos, ſpontè numeratur, hoc eſt inter Vrbanos Romani Principatus Quæſtores, qui plurimum ea tempeſtate, & apud Principem gratia, & apud cæteros auctoritate pollebant. Nec ita multo poſt Secretarius renunciatur, vt Collegium illud ampliſſimum doctorum in primis virorum ſocietate venerabile Dominicus, ſuis etiam ornamentis, cumularet. Magnum eſt, Quirites, ità vel literarum gloria, vel rerum gerendarum vſu, vel morum innocentia florere, vt in ſe omnium Mortalium oculi conijciantur; at quanto præclariùs cum Dominico actum putabimus, qui clariſſimis viris, & familiaritatis iure, & muneris ſocietate conuinctus, omnibus tamen ſanctimoniæ, doctrinæq. opinione præcelluit; Hos ego cum nomino, Leonardum Aretinum, Cincium Romanum, Antonium Luſcum, Poggium Florentinum, Iacobum Lampſum, Blondum Foroliuienſem, intelligo, præſtantiſſima, vt videtis, nomina, & Poſterorum admiratione digniſſima; Hos inter adiectus Dominicus mirum quantum Summi Pontificis voluntatem ſibi deuinxit, cum opinionem de ſe conceptam virtutis magnitudine ſuperauit. Hinc ad diſſoluendum ex Pontificis decreto Concilium Senas mittitur, ac re benè, & feliciter geſta Romam rediens Prothonotarius declaratur; & ad Aemiliam pro legato adminiſtrandam cum imperio proficiſcitur. Vna nimirùm Vrbe, quamuis ampliſſima, atque Vrbium omnium Regina, contineri virtus tanta, atque doctrina non poterat, quæ ad publicum terrarum orbis beneficium Dominico fuerat conceſſa diuinitus. In illius adminiſtratione prouinciæ, quæ non edidit documenta ſapientię? vt totus in literis abditus

ditus

ditus ea à Iurisconsultorum monumentis hauriebat documenta, quæ ad populorum vtilitatem opportunè depromeret. Publicis reiectis negotijs nunquam grato recreabatur sopore, & sæpè sæpiùs vniuersum in studijs spatium noctis insomne transigebat: nam fortia pati, Romanum est: ab otio diligentissimè abhorruit Dominicus, quia sanè prospexit fouere libidinem, corpora prægrauare, animos eneruare, fuscare ingenia, scientiam delere, memoriam extinguere, & parere obliuionem; & ità se gessit, vt quidem certè summa Mortalium admiratione, temporis in imperio, ad Posterorum splendorem, ad Ciuium iactantiam, ad nominis æternitatem fuerit perseuerandus, sed quid ages tandem iuuenum Nobilissimè? quo te literatus ardor abripiet? quo te doctrinæ Amor abstrahet? & à reliquis vitæ curis auocabit? Ad arma velis, nolis, deueniendum est, atque vt te scientiarum studium in tranquillitatis sinu detineat, in turbas tamen Romæ tuæ genius, seditionesq. proijciet. Nimirùm à Marte originem repetit gens Romana, & ferocis sideris afflatu ad bellandi cupiditatem erudita furias concipit origini suæ pares. Ipsa hæc rudera bellatricis quondam Vrbis, disiecta hæc Capitolij saxa triumphantum rotis sæpè protrita, hæc delubra deuictarum gentium manubijs consecrata, hi arcus, hæc fora, hi campi, nescio quid indunt animis Posterorum? quod illos ad cruenta Martis pericula voluntariè impellit. Ità est Quirites.

A pacis otio ad belli negotium, & tumultus animum Dominicus auertit, vt nobilissimum ingenium tum bellatorum sudoribus irrigatum, cum etiam sapientum disciplinis illustratum latiùs elucesceret. Telorum ille volitantium fulgor aciem mentis exacuit, inter vecordes vociferantium militum conflictus efferato impetu exardescentium mentem imbibit militarem; Bellicas tamen disciplinas non quasi incitamenta arrogātiæ, sed quasi virtutum instrumēta adamabat. Populos, qui in Italia immani inter se diffidebant barbarie: Dominicus pulcherrimæ fundator pacis, amplissimaq. armorū gloria, turmis fortissimorum militum contractis, quamuis res bellica cæcos habeat euentus, tutus accedens, plenus virium, animi plenus, debellauit, audaciam repressit, fregit perfidiam, commotosq. animos, humanas propè vires excedentes conciliauit, atque illos tanta beneuolentia sua, humanitate, mansuetudine, prudentia, inuicem deuinxit, vt inter eos nullæ inimicitiarum, aut irarum causæ remansisse viderentur; sibiq. ac rebus suis optimè consultum à Dominico crederent, & gloriarentur. Hos autem animæ bellatricis igniculos insita morum temperatione consopitos, sed non extinctos, opportunè rursus excitauit, cum in agrum Picenum summo cum imperio Prę-fectus, & aduersus Franciscum Sfortiam exercitum conscribere à Pontifice iussus, quamuis Ducum ignauia, prælij euentus non satis prosperè cecidisset, Asculum tamen, Firmum, aliaq. oppida non vulgaria, qua vi, quo concilio

cœpit,

cœpit,& Romani Pontificis ditionem amplificauit. Sed non diù bellandum cum hostibus fuit homini sapientissimo, & iamdudum sacræ Christi militiæ mancipato, Firmi siquidem Archiepiscopus ob præclaram nauatam operam renunciatus, mox etiam in Cardinalium Collegium à Martino tacita designatione cooptatus, sensit sibi nouum belli genus superesse, minus quidem cruentum, sed ipsa pugnandi diuturnitate molestius.

*Hic multa desiderantur.*

Purpura pro meritis suis indutus,& recuperatis omnibus bonis, quæ quondam amiserat, reiectis tantæ militiæ laboribus, quasi nouum in hominem permutatus à belli tumultibus animum ad tranquillæ, & sacræ pacis otia conuertit. Hinc ad sedandas Alfonsi Regis cum Venetis inimicitias, optimus ad coercenda prudentis charitatis officijs dissidia seditionum, promptus ad bellorum incendia cælestis concordiæ spiritu restinguenda, & ad conciliandos inter se Christianorum Principum animos à Pontifice legationis gloria decoratus Bizantium, Vrbem illam imperij sedem, tum primis à Turcis per fraudem occupatam, tot inter immanissimorum Hostium arma proprio sanguine fluctuantem, è media colluuione Barbarorum euocare, & Turcarum,& Scismaticorum faucibus eripere,& ipsius immanitatis complexu, atque seruitute in libertatem asserere tentauit, opemq. tulit, quam homini priuato licuit pollere, sed nihil æque diligenter curauit, ac interiores animi seditiones ita cohibere, vt ratio princeps, ac diuina pars hominis dominaretur, sensuum verò satellitium esset in potestate. Sileant hic veterum illæ tantoperè celebratæ laudes, taceat illa Carthaginis, Numantiæq. dextera expugnatrix amplissima, claraq. illa,& exornata trophæa illustrium victoriarum insignia conticescant, quoniam omnium eorum gesta, quæ oratorum excedere copiam videbantur, huius vnius gloriæ splendore obscurata delitescunt; Fuit in Dominico humanis periculis eminentior animi magnitudo, nullis vitæ labefactata illecebris, nullis mortis exanimata terroribus, nemo fuit, qui constantissimæ mentis non admiraretur firmitatem. illo iam tempore post tumultuantes Maris æstus, recepta velut in portu paupertas,& frui tranquillitate cœpit, & nouo repentè miraculo euasit in diuitem, quæ lacera,& gemebundo aspectu à Dominico suscepta vnum eum patronum inuenit, & patrem; Quid dicam de alijs virtutibus, quæ à tanto Principe promanarunt? quid de molibus excitatis, atque erectis? Testor Sacellum illud in templo magnæ Virginis cognomento suprà Mineruam, Augustum illud antiquæ magnificentiæ monumentum, quo cum vix Piramides Aegypti, & Curiæ Mausolæa possint de maiestate contendere. Quid commemorem eius in victu parsimoniam, & quod memorabile est, pudicitiæ florem, qui in amœnissimo laudum eximiarum horto summam equidem protulit virtutum variarum pulchritudinem, admirandæq. sparsit odorem sanctimoniæ. Hinc

ætatem

ætatem omnem tam sanctè, religioseq. traduxit, vt morum temperatione mirabiliter, nihil Christianæ seueritatis officijs comitas officeret, nihil de comitate arctioris disciplinæ custodia detraheret, vt amorem pariter, ac reuerentiam populorum sibi conciliaret. Quid de liberalitate? aspicite hoc nostrum almum Collegium disciplinarum omnium emporium: non enim tam in huius amplissimi domicilij lapidibus Dominicus viuit, quod ad Philosophiam nudriendam, fouendam Theologiam, & Iurisprudentiam adamandam erexit; quam in nobis perpetuo viuet, qui in hac sede doctrinarum ad ciuilem felicitatem collocati sumus, vt eius gratam recordationem testemur laudibus, præconijs prosequamur, & ipsæ quoque liberales disciplinæ linguæ fiant, ad eum exornandum, facundissimæ. Porrò quanto maius est viuere semper omnium in oculis, habitare in animis, quam in monumentis. In Deum pium, munificum in homines se gessit Dominicus, & ità sibi vtrosque demeruit, vt ab illis virtutum omnium incrementum, ab his immortalitatem nominis adeptus sit. At nos præcipuè in amplissimam illius liberalitatis partem vocati sumus, quicunque in Capranicensi Collegio in studijs bonarum artium ad nominis gloriam, ad reipublicæ vtilitatem adolescimus; Nobis ille fecit hæc otia in quorum sinu compositi honorificentissimè prosequimur studia doctrinarum, vt qualis qualis isthæc ingentis beneficij commemoratio non tam iustè laudari à vobis debeat, quod exhibetur, quàm si præteriretur, reprehendi meritò posset, atque vt ad munificentiam prorsus regiam, qua Domum, ac sumptus nobis suppeditat, alius etiam cumulus accederet. Collegij sui præfecturam vobis commendauit, Quirites, vt à vestris non tam monitis, quàm exemplis omnium repeteremus documenta virtutum, & repetimus sanè, ne simus ingrati præeuntem præsertim te, Valeri nobilissime, in cuius nomine ne degeneret, conquiescit Oratio mea.

DIXI.



FINE